



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelia Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 6. Politia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

N V M. 6. *Politia.*

MAGNA pars Thracum *auto^ρo^υos* est, *suis legibus viuit*, inquit lib.
2. *Thucydides*: quidam tamen regibus paruere, quorum nomina leguntur in fabulis. Illiusmodi fuere Lycurgus, Diomedes, Theseus, Rhesus, Polymnestor. Meminit iam laudatus *Thucydides*, Teræ qui pater fuit Sitalcis Atheniensibus amicissimi, qui primus Odrysarum amplificauit Imperium, & supra reliquos Thraciæ Reges, & Dynastas elatus est. Periit is in bello contra Triballos, ait *Diodorus Sic.* lib. 12. & conscripsit ccxx. peditum millia, equitum millia quinquaginta. Postmodum, inquit *Iustinus*, Philippus Alexandri M. pater, electus à duobus Regulis arbiter, magnam Thraciæ partem occupauit: totam obtinuit eius filius Alexander. Perseuerarunt tamen aliqui Reguli ut ex Lysimachi rebus gestis liquet. Immo perdurarunt usque ad Augusti tempora; qui ex occasione dissidij inter duos fratres in Thraciam irrupit. Sub Tiberio domiti, & triumphati Thraeces per Popæum Sabinum: sub Claudio in prouincia formam Thracia redacta est. Antea tamen sic Thraeces agnoscabant Reges suos, ut iis ex libidine tantum parerent, inquit *Tacitus* 4. Annal. Belligerabant duntaxat contra accolas, non contra exterros. Quantum autem copiarum educerent vidimus in Sitalce, cuius potentiam intelliges ex eo quod tradit *Diodorus Siculus*: videlicet eum quotannis venticigalium nomine supra mille Talenta collegisse.

C A P V T I I.

Macedonia Geographica descriptio.

LIVIUS libro 45. ait à Paulo Æmilio deuictam Macedoniam in quatuor partes diuisam esse, quas è loci accurate describit: & primæ quidem fuisse caput *Amphipolim*; secundæ *Theffaloniam*; tertiæ *Pellam*; quartæ *Pelagoniam*. Hanc diuisionem tibi proponimus, & in singulis populos, quorum in antiquis scriptoribus mentio.